



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum filij debeant sequi conditionem patris? [4]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

quod seruitus matrimonio repugnat, matrimonium seruituti præiudicat: quia tunc seruus tenetur uxori debitum reddere, etiam nolente domino.

Ad tertium dicendum, quod quamuis in actu matrimoniali, & in his quæ ad naturam spectant, ad partem viri & uxoris iudicentur, ad quæ conditio seruitutis se non extendit: tamen quantum ad dispensationem domini, & ad alia huiusmodi superaddita, vir est capax uxoris, & debet corrigere eam; non autem è conuerso: & ideo uxor non potest se dare in ancillam nolente viro.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa procedit de rebus corruptibilibus, in quibus etiam multa impediunt generationem, quæ non sufficiunt ad destruendum rem generatam: sed in rebus perpetuis potest impedimentum præstari, ne res talis esse incipiat, non autem ut esse desinat; sicut patet de anima rationali. Et similiter etiam est de matrimonio, quod est perpetuum vinculum præsentis vite manente.

## ARTIC. IV.

*Utrum filij debeant sequi conditionem patris?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod filij debeant sequi conditionem patris. Quia deo-  
minatio fit à digniori. Sed pater in generatione est dignior, quam mater. Ergo, &c.

**¶ 2** Præterea, Esse rei magis dependet à forma, quam à materia. Sed in generatione pater dat formam, mater materiam: ut dicitur 16. de animalibus. Ergo magis debet sequi proles patrem, quam matrem.

**¶ 3** Præterea, Illud præcipue debet aliquis sequi, cui magis assimilatur. Sed filius plus assimilatur patri quam matri, sicut & filia plus patri, quam matri. Ergo ad minus, filius plus debet sequi patrem, & filia matrem.

**¶ 4** Præterea, In sacra Scriptura non comparatur genealogia per mulieres, sed per viros. Ergo proles magis sequitur patrem, quam matrem.

311  
e. licet. de  
coniug.  
seruor. S.  
1. insti. de  
ingenuis  
q. 1. ibi cō-  
muniter  
doctores.  
lib. 2. de  
animal.  
c. 4. 10. 4.

SED contra, Si quis seminat in terra aliena, fructus sunt eius cuius est terra. Sed venter mulieris respectu seminis viri, est sicut terra, respectu sementis. Ergo, &c.

¶ Præterea, In alijs animalibus, quæ ex diuersis speciebus nascuntur, hoc videmus, quod partus magis sequitur matrem, quam pater. Vnde muli qui nascuntur ex equa & asino, magis assimilantur equabus, quam illi qui nascuntur ex asina & equo. Ergo similiter debet esse in hominibus.

RESPONDEO dicendum, quod secundum leges civiles, partus sequitur ventrem: & hoc rationabiliter; quia proles habet à patre complementum formæ, sed à matre substantiam corporis. Seruitus autem, corporalis conditio est, cum seruus sit quasi instrumentum domini in operando: & ideo proles in libertate & seruitute sequitur matrem: sed in his quæ pertinent ad dignitatem, secundum quod est ex forma, sequitur patrem, sicut in honoribus & municipijs, in hereditate, & alijs cuiusmodi: & huic etiam concordant Canones, & lex Moyfi, vt patet Exod. 21. in quibusdam tamen terris quæ iure civili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem: vt si mater sit seruus, quamuis mater sit libera, erunt filij serui: non tamen si post peractum matrimonium pater se in seruam dedit nolente vxore, & similiter si mater conuersa. Si autem vterque sit seruilis conditionis, & pertineant ad diuersos dominos, tunc diuiduntur, si plures sint; vel si vnus tantum, vnus alteri reponsetur de pretio, & accipiet prolem natam in seruitutem: tamen non est credibile quod talis conuersio possit esse ita rationabilis, sicut illud quod sanctorum sapientum diuturno consilio determinatum est. Hoc etiam in naturalibus inuenitur, quod receptum est in recipiente per modum recipientis, & non per modum dantis: & ideo rationabile est quod semine receptum in muliere, ad conditionem ipsius tractetur.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis pater sit dignius principium matris, tamen mater dat substantiam corporalem: ex parte cuius attenditur conditio seruitutis.

Ad secundum dicendum, quod in his quæ ad rationem speciei pertinent, magis assimilatur filius patri, quam matri: sed in materialibus conditionibus magis debet assimilari matri, quam patri: quia res habet a forma, esse specificum; sed conditiones materiales a materia.

Ad tertium dicendum, quod filius assimilatur patri ratione formæ, quam habet in sui complemento, sicut & pater: & ideo ratio non est ad propositum.

Ad quartum dicendum, quod quia honor filij magis est ex patre, quam ex matre, ideo in genealogiis in Scripturis, & secundum communem consuetudinem, magis nominantur filij a patre, quam a matre: tamen in his quæ ad seruitutem spectant, magis matrem sequuntur.

## QVÆST. LIII.

De impedimento voti & ordinis, in quatuor articulis diuisa.

**D**inde considerandum est de impedimento voti & ordinis.

¶ Circa quod quærentur quatuor.

¶ Primo, utrum votum simplex matrimonium dirimat?

¶ Secundo, utrum votum solemne?

¶ Tertio, utrum ordo matrimonium impediat?

¶ Quarto, utrum aliquis post matrimonium, sacrum ordinem suscipere possit?

## ARTIC. I.

Utrum per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat?

**A**d primam sic proceditur. Videtur, quod per obligationem voti simplicis matrimonium contractum dirimi debeat. Fortius enim vinculum debetiori præiudicat, sed vinculum voti est fortius quam vinculum

312  
Tho. 4. d.  
38. q. 1.  
ar. 3. q. 2  
et. 3. ar. 1  
sus. extra  
qui cleri.  
vel co-  
nates.